



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De eo qui cognovit consang. ux. Consilium DXXXIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

juramenti exoneratio hic admitti; sed ex defectu plenæ probationis, præsumptionem pro matrimonio retinere, c. *Super eo in fine c. Licet ex quadam in fin. De testib.* uti generaliter in dubio faciendum est: præsertim cum agitur non de contrahendo, sed de contracto, ac consummato matrimonio dirimendo; & potissimum ubi causa diremptionis speciem delicti habet, ex qua criminalis accusatio, vel correctio oriri posset, ut est in proposito. Probata etenim cognatione spiritali, & scientiâ Rei, quæ per dictam confessionem detegeretur; Reus ob illicitum matrimonium per speciem incestus, penas illiciti matrimonij subire deberet, l. *Si quis incesti c. De incest. nupt. l. si quis alumnus c. De nuptijs.*

10 De quo in proposito minor debet esse difficultas; quod semiplena probatio, quæ in testimonio dicti Guilielmi constituitur, non sit directè super ipsa cognatione spiritali; sed tantum super confessione Rei, eaque extrajudicialiter factâ, parte principali absente; quæ ob id nocere non debet, etiam plenè probata, l. *fin. De interrogat. act. l. certum §. si quis de confess.* potissimum quia actus rei, de quâ facta dicitur confessio, non dependeat à voluntate, aut certâ scientiâ ipsius contentis; quo casu confessio extrajudicialis, etiam parte præsentè factâ, nocere non debet, *Gloss. in l. Pomponius 1. De negot. gest.* Quod autem in certam scientiam Rei hujus casus non cada; imò cadere non possit actus, unde cognatio spiritalis ex susceptione in baptismo contrahitur, per se manifestum est; ex eo, quod Reus vix unum diem natus, baptismi gratiam sit adeptus, & per atatem nec videre, nec intelligere potuit se à Domino Guilielmo in baptismo suscipi; sic ut certâ scientiâ id confiteri non potuerit, & ex auditu alieno id referendo, errare potuerit. Cum alioqui in hujusmodi matrimoniali causâ testificatio, aut confessio ex auditu alieno parum faciat ad dirimendum matrimonium, quia in eo plerumque versatur error, d. c. *Licet ex quadam.* Quibus hoc quoque addimus, quod in re proposito magnum momentum habet, quod non contet de acceptance hujus confessionis, quæ facta dicitur præsentè Curatore; ut enim confessio extrajudicialis parte præsentè facta noceat contenti, oportet illam acceptatam esse, *Cyrus in l. 1. c. De confess. Salicet. in l. Invenimus c. De liberali causa, Alex. conf. 20. In causa appellationis nu. 1. vol. 4.* quia, ut inquit Baldus, in l. 3. nu. 2. c. *De repud. hered.* qui non acceptat verba adversarij non potest se ex illis juvare.

11 Quod sane in proposito maximè obtinere debet; cum satis constet ex tenore depositionis dicti Guilielmi Antonium ex insidijs aggressum, & captiosis interrogationibus usum fuisse, ac proinde veriùs suggerentis, quàm interrogantis officio (quod lex improbat, l. 1. §. qui questionem de quest.) usum fuisse videretur: in quam captionem Reum sua simplicitate tam præcipitanter deduci, iniquissimum esset.

12 Quibus omnibus si non satis videbitur detractionem facultati deferendi prædicti juramenti in supplementum probationis (quod tamen omnino putamus) superest Reo remedium restitutionis integri adversus prædictam assertam confessionem ex capite minoris ætatis; quod concedi solet

Conf. Wameli. Tom. II.

etiam si confessio sit judicialis, multò magis adversus extra judicalem, l. *Certum §. minorem De confessu, l. Nam postea §. si minor & ibi Bari. & Alex. De iurjurando.* Non obstante quod Reus hanc confessionem negaverit; cum nusquam traditum sit, beneficium restitutionis in integrum per solam negationem amitti: pena enim negationis tantum locum habet in casibus expressis, *l. in l. 2. nu. 88. c. De iure emphyt.* Ideoque traditur, *Bari. in l. Eum qui De iurjur. Bald. in l. Contra negantem c. ad leg. Aquil. minorem ad evitandam penam dupli, ex lege Aquilia in integrum adversus negationem restitui.* Cujus restitutionis petitio pro parte Rei seriùs proposita non est, propter dicti curatoris oblationem de iurjurando pro supplenda probatione factam post conclusionem in causa: ita ut, cum ea oblatione non factâ Reus nihil sibi metuere debuerit ex unius testis testimonio, l. *Maritus De quest. l. iurjurandi c. de testib. eâ tandem factâ ex adverso restitutionem quoque, quatenus opus est, petere potuerit.* Sed, ut dixi, supervacuum est hoc remedium, propter causas superius recitatas impediennes dicti juramenti delationem. Quare priori nostro responso inhærentes existimamus ad juramenti delationem decurri non posse.

De eo qui cognovit consang. ux.

S V M M A R I U M.

Matrimonij impedimentum ex fornicatione.

1. Affinitas impedit ac dirimit matrimonium.
2. Affinitas contrahitur etiam per illicitum coitum.
3. Intellectus c. Si quis cum duabus xxxiii. q. 2.
4. Assertioni conjugum de impedimento matrimonij non creditur.

CONSILIUM DXXXIX.

PROPOSITUM ex facto, quod A. adolescens per amores prosequutus sit B. adolescentulam solutam; quæ nondum ab eo carnaliter cognita (absente, & in longinquam regionem profecto A.) passa sit se cognosci carnaliter à quodam viro conjugato, ex quo etiam liberos pepererit. Reversus postmodum A. priores amores prosequendo cum B. carnaliter se commiscuisse, & liberos ex ea concepisse dicitur. Cæterum B. lubricitate, & libidine carnis ad complexus illius viri conjugati redijt, & rursus ex eodem liberos peperit; inde odio adversus B. conceptio, dictus A. sollicitavit nuptias C. sororis præfatæ B. ignorantis præstatam cum sua sorore copulam; & præmissis juris solemnitatibus cum illa in facie Ecclesiæ matrimonium contraxit, & interventu copulæ carnalis consummavit. Quæritur, an hoc matrimonium sit legitimum, an verò minus, sic ut dirimi debeat?

Resolutio propositæ questionis dubitationem non haberet, & uno verbo absolvi posset, si non aliter, quàm habet veritas juris, ad eam priùs per alium responsum fuisset. Iuris veritas est, quod hoc matrimonium nec iustum, nec ratum, nec legitimum

Y y

legiti-

legitimum sit: ideoque dirimi, & sic conjuncti ab invicem separari, & recedere debent. Impedimentum etenim affinitatis intra gradus prohibitos tam potens est, ut non tantum impediat contrahi matrimonium; sed etiam contractum dirimat, c.

2. *Non debet De consang. & affinit.* * Quæ affinitas contrahitur non tantum per coitum in licito matrimonio, verum etiam per fornicarium coitum, c. *Fraternitati c. Ex literis c. Tux De eo qui cogn. consang. uxoris, Innoc. & parormit. in c. Discretionem eod. tit. auster. decis. Capella Tholos. 96. qui scilicet matrimonium antecedit: nam superveniens contractum matrimonio non dirimit matrimonium, d. c. *Discretionem*. Cum ergo dicta C. sit soror ipsius B. quam A. cognovit ante contracta cum C. sponsalia, & sic in primo gradu affinitatis, *can. Porro xxxv. q. 5.* in quo nec spes dispensationis alicujus est, non valet cum ea contractum matrimonium, c. *ult. de divorcijs, Paul. Paris. consil. 68. Dubium exortitur vol. 4.**

3. Nec in contrarium urget, quod Gratianus refert, in *can. Si quis cum duab. xxxiii. q. 2.* quod si quis cum duabus sororibus fuerit fornicatus aut cum alijs personis, quarum conjunctionem sacra scriptura prohibet, liceat post peractam penitentiam (quæ alio loco, d. *can. Si quis cum duab. definitur septenalis*) uxorem ducere: nam ea permissio non refertur ad illas sorores, quasi liceat fornicatori alteram ex his ducere; sed tantum ad permissionem matrimonij in genere, cum quacunque alia; cum qua jus connubij est; non cum altera illarum: quia primus fornicarius coitus cum primâ facit perpetuum, & inelutibile impedimentum cum altera sorore, *Ioan. de Turre Cremata in d. c. Si quis cum duab. Item canon. c. Iuvenis De sponsal.* propter huiusmodi concubitum prohibet nuptias eo sobrinis: iustis mulieris; multo magis cum ejus sorore. Unde alio loco apertius refert idem Gratianus, quod hic fornicator neutram ex illis uxorem ducere poterit, *can. Qui dormierit, can. concubisti xxxii. quest. 7. c. Qui dormierit xxxvii. quest. 2.* Visque adeo, ut qui contracto cum muliere matrimonio, postea fornicariè cognoscit ejus sororem, non possit ab uxore sua debitum petere, d. c. *Qui dormierit & ibi gloss.*

4. Et hæc quidem indubitata sunt in comperta & probata veritate propositi facti: nam sola facti veritas tantum afficeret, & obstringeret conscientiam ipsius A. qui sic temerè nuptias contraxit cum illa, cujus sororem antea per fornicarium coitum cognovit, si modò illa huiusmodi copulæ ignara fuit, (ignara autem fuisse præsumitur nisi probetur ejus scientia, l. *Vetus De probat.*) sic ut soli assertioni ipsius A. etiam accedente confessione ipsius B. hæc in parte standum non sit in præjudicium huius matrimonij sic palâ & bona fide inter C. & A. contracti; imò nec confessio ipsius B. sufficeret ad dirimendum hoc matrimonium: sed requiruntur plenæ, & fide dignæ probationes; sic ut nec fama, nec rumor vicinæ de hoc præcedenti cum sorore fornicario coitu sufficeret; ut expresso jure cautum est, c. *Super eo De eo qui cog. consang. uxoris. sua: ne scilicet bene constituta matrimonia, vel per collusionem conjugum, vel per falsas, aut quaslibet assertiones dirimantur, d. c. Super eo, c.*

Cum in tua qui maritum accus. poss. c. præerea De sponsal. Quamvis alias fama, aut huiusmodi assertio interdum sufficeret ad impediendum matrimonium ne contrahatur: facilius enim impeditur contrahendum, quàm contractum dirimatur, c. *Cum in tua De sponsal.* Nisi igitur vel fideus, vel aliquis alius manifestè probet, huiusmodi præfati A. cum B. copulam; non debet turbari hoc cum C. sic publice, & solemniter contractum matrimonium, *parorm. & alij in d. c. super eo. Licet A. si res ita se habeat, ut proponitur, propter remorsum propriæ conscientie, debitum ab uxore exigere libere non possit; exactum tamen verè vel interpretativè reddere teneatur, c. penult. De eo qui cog. consang. uxoris. sua.*

De eo qui cognovit. consang. uxor.

S Y M M A R I V M.

Incestuum nuptiarum poena.

1. Incestus poena ut locum habeat requiritur scientia cognationis aut affinitatis.
2. 20. Mulier quando excusetur ex ignorantia.
3. Prohibitio nuptiarum in quarto gradu utriusque positi est.
4. Turaris præsumitur sua salutis memor.
5. Patruales & consobrini inter se iure civili nuptias contrahunt.
6. Præsumitur quisque consanguinitatem suam cognoscere.
7. Præsumitur quisque scire quod scire tenetur.
8. Incestus nuptiarum scienter continuans puniendus.
9. Intellectus l. Si ad alterum §. ijdem Pollioni Ad l. lul. de adult.
10. 12. Poena legales incestuum nuptiarum an extendantur ad novas prohibitiones iuris canonici.
11. Intellectus Clement. i. De consang. & affinit.
13. Incestus nuptiarum qui contrahit efficitur infamis.
14. Ignorantia non excusat, ubi requiritur diligens investigatio.
15. Matrimonium illicitum non habet locum a viatrimonij.
16. Dos putativa an eadem privilegia habeat, qua de vera.
17. Coniuges putativi non habent ius successionis, legati doli arj.
18. Vxor putativa non gaudet privilegijs putativi mariti.
19. Vxor putativa actione famosa per maritum putativum conveniri potest.
21. In iuriarum actionem an habeat mater sub colore matrimonij stuprata.

C O N S I L I V M D X L.

IN causa, quam fideus Reverendissimi Domini Archiepiscopi Cameracensis proposuit, adversus Domicellam Mariam vander Ee, ob illicitum matrimonium cum D. Carolo Quatre in gradu, iure Canonico prohibito, contractum; videtur nobis subscriptis, quod præfata Domicella Maria absolvi debeat. * Nam quamvis hoc commune habere videatur cum præfato Domino Carolo, quod inter colloquia, & in epistolis cognati appellationem usurpaverit, & admiserit; ex eo tamen solo præsumptio scientiæ prohibitionis constitui nequit: quod necessarium est, ut poena iuris insignatur, *reap. in c. Etsi necesse De donat. inter vir. & uxor.* * Et in eo dispar est conditio Domini Caroli; quia vir est, & iurisperitus: qui ob id diligenter